Quaestionum Sophoclearum particula I.

Admonitus, ut sumptum typographicum minuerem, cum libellum scholasticum hoc anno vellem conscribere, pauca afferre constitui. Si forte me fugit, quod ab aliis positum sit, veniam peto.

Oed. R. v. 9—11.

ἀλλ', ὦ γεραιέ, φράζ', ἐπεὶ πρέπων ἔφυς
πρὸ τῶνδε φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε,
δείσαντες ἢ στέρξαντες;

Nonnulli *στέξαντες* pro *στέρξαντες* poni volunt, quippe qui illud, quod a scholiasta voce *πεπονθότες* explicatum sit, idem esse atque ‚includentes malum occulte serpens' interpretentur. Neque tamen oratio dilucidior est, imo obscurior. Bellermann nonnulla affert, quibus vocem *στέργειν* interdum ‚acquiescere aliqua re' significare ostendit. Quod ad locum, de quo agitur, ita adhibet, ut supplices illos aut timore mali appropinquantis perterritos aut praesenti calamitate oppressos auxilium petere dicat: quod idem scholiastam sentire, qui verba illa *ἢ διά δέος ἢ παθόντες* interpretaretur: Oedipum vero, quod homines cum silentio sedentes vidisset, num calamitate accepta acquiescerent interrogare. At fieri non potest, ut is, qui acquiescat, supplicet. Quamobrem scholiastam errare puto. Neque intelligo, cur voci *στέρξαντες* vis vel diligendi vel etiam orandi (cf. Oed. C. v. 1094) non sit subjicienda. Quamquam fieri non posse, quin isti homines orent, ideoque preces non esse contrarias timori dicunt. Subtilius hoc. At in animo supplicis differt inter periculum et auxilium: modo hoc modo illud ei ob oculos versatur.

Oedipus vel quod periculum fugiant vel quod auxilium petant cognoscere vult, qui ex utroque, quae res agatur, possit intelligere. Itaque haec inter se pugnare mihi non videntur. Altera vis diligendi, quae voci *στέργειν* subest, verbo *δείσαντες* magis est contraria. Quam si probamus, Oedipus quaerit ex iis, quem timeant aut cui consulant.

Oed. R. v. 622—26.

ΚΡ. τί δῆτα χρῄζεις; ἦ με γῆς ἔξω βαλεῖν;
ΟΙ. ἥκιστα· θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι.
ΚΡ. ὅταν προδείξῃς οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν.
ΟΙ. ὡς οὐχ ὑπείξων οὐδέ πιστεύσων λέγεις.
ΚΡ. οὐ γὰρ φρονοῦντά σ' εὖ βλέπω.

Qua serie verba *ὅταν προδείξῃς . . . . . πιστεύσων λέγεις* inter se apta colligataque sint, multi et docti homines enucleare studuerunt. Versum priorem ajunt cum antecedenti ita esse conjunctum, ut subjiciatur: moriar, cum quemadmodum se habeat invidia mea ostenderis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nauck vocem *θανοῦμαι* nisi ad libidinem non audiri monet. Versus posterior (*ὡς οὐχ ὑπείξων . . . . .*) neque cum versu antecedenti neque cum sequenti neque cum contextu rerum apte cohaerere videtur. Neque enim intelligi potest, cur Creon injuria capitis argutus regis voluntati morem gerat vel ei fidem habeat. Nauck ideo versum *ὡς οὐχ ὑπείξων οὐδὲ πιστεύσων λέγεις* Creonti esse tribuendum pro certo putat neque vero versum alterum ea re non explicari negat. Neque si quis versus mutato ordine disponat, ita ut posteriore antecedente — id quod Haase fecerit — Creon verba *ὡς οὐχ ὑπείξων οὐδέ πιστεύσων λέγεις* faciat, tum Oedipus *ὅταν προδείξῃς οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν* dicat, haec melius intelligi arbitratur. Quamobrem verba quaedam intercidisse ei videntur. Wolff Sophoclem scripsisse suspicatur: *οὐχ ὡς ὑπεῖξαί μ' οὐδὲ πιστεῦσαι λέγεις.* Oediqus, si id comprobamus, ab invidia, inquit, te abesse mihi persuasisse tibi videris neque tamen ita loqueris, ut tibi indulgeam fidemque habeam. Adversatur Creon: persuadere tibi non possum, quod non intelligis menteque cares (*οὐ γὰρ φρονοῦντά σ' εὖ βλέπω*).

Sed verba, quae tradita sunt, voce *πιστεύσων* recte explicato facile servari possunt. Scholiasta interpretatur : *οὕτω λέγεις ὡς μὴ πειθησόμενός μοι, ἀλλ' ἀντιλέξων τῇ κελεύσει.* Wolff ipse ex Trachiniis (v. 1221) haec affert: *πιθοῦ · τὸ γάρ τοι μεγάλα πιστεύσαντ' ἐμοὶ σμικροῖς ἀπιστεῖν τὴν πάρος συγχεῖ χάριν.* Ex quo vocem *πιστεύειν* non modo ‚fidem habere', sed etiam ‚parere' significare apparet. Sententia jam nihil habet impedimenti, quod, quamvis ceteri Creontem indulgere et obsequi vix exspectent, nimirum tamen Oedipus ut homo impetu animi abreptus, quippe qui istum sontem ducat, eum culpam fateri (*ὑπείξων*) et poenam subire (*πιστεύσων* i. e. *πεισόμενος)* aequum esse putat. Verba autem illa *ὅταν προδείξῃς, οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν* bene, credo, intelligimus, cum sermonem puncto sublato sumimus esse interceptum. Creon, quid, cum Oedipus se invidiae convicerit, futurum sit, non dicit, quod Oedipus, qui eum non fateri cognoverit, sermonem interrumpit. Melius etiam verba conexa et apta essent inter se, si pro *φθονεῖν* positum esset *φρονεῖν.* Creon ubi loqui pergit (*οὐ γὰρ φρονοῦντὰ σ' εὖ βλέπω*), causam affert, cur antea vocem *φρονεῖν* usurpaverit. Dicere fortasse voluit, tum demum, cum istum mentis esse compotem cognovisset, fieri posse, ut cum eo de hac re ageret.

Oed. R. v. 720—25.

κἀνταῦθ' Ἀπόλλων οὔτ' ἐκεῖνον ἤνυσεν
φονέα γενέσθαι πατρός, οὔτε Λάϊον
τὸ δεῖνον, οὐφοβεῖτο, πρὸς παιδὸς παθεῖν.
τοιαῦτα φῆμαι μαντικαὶ διώρισαν ·
ὧν ἐντρέπου σὺ μηδέν . ὧν γὰρ ἂν θεὸς
χρείαν ἐρευνᾷ, ῥᾳδίως αὐτὸς φανεῖ.

Locus insignibus litteris scriptus esse corruptus videtur. Verba ita explicantur, ut Jocaste haecce dicere videatur: quarum rerum utilitatem deus investigaverit i. e. quas utiles esse cognoverit, eas per se ipse, non ore vatis cujusquam, facile in lucem proferet. At mirum est, si deus — id quod homines faciunt — aliquid investigare dicitur. Adde quod *ἐρευνᾷ* non significat ‚investigaverit', sed *ἐρευνήσῃ.* Tamen viri docti vocem *ἐρευνᾶν* vel substantivum *ἔρευναν,* cum generi humano conveniat, tuentur, nisi quod ad homines referunt. Quamobrem C. G. Eggert *ὧν γὰρ ἂν θεὸς χρῄζῃ γ' ἔρευναν,* Nauck, qui vocem *γε* tollere studeat, *ὧν γὰρ ᾖ θεὸς χρῄζων ἔρευναν,* Wolff *ὧν γὰρ ἂν θεὸς χρῇ* (sc. *θέλῃ*) *τὴν ἔρευναν* Sophoclem scripsisse suspicantur. At recte Bellermann, si deus ipse aliquid in lucem proferat, ulla indagatione hominum non opus esse monet. Mea sententia locus nisi acriore medicina sanari non potest. Cum nemo dubitet, quin

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἐρευνᾷ mendosum sit, haud scio an in eo lateat ἐφεύρῃ. Verba ων χρείαν idem esse atque ‚quae tamquam necessaria' Hermann interpretatus est. Quo probato sententia loci erit haec: quaecumque deus opus esse arbitratus erit (ὧν ἂν χρείαν ἐφεύρῃ), ea ipse facile in lucem proferet.

Oed. R. v. 1162—72.

ΟΙ. πόθεν λαβών; οἰκεῖον ἢ 'ξ ἄλλου τινός;
ΘΕ. ἐμὸν μὲν οὐκ ἔγωγ', ἐδεξάμην δέ του.
ΟΙ. τίνος πολιτῶν τῶνδε κἀκ ποίας στέγης;
ΘΕ. μὴ πρὸς θεῶν, μή, δέσποθ', ἱστόρει πλέον.
ΟΙ. ὄλωλας, εἴ σε ταῦτ' ἐρήσομαι πάλιν.
ΘΕ. τῶν Λαΐου τοίνυν τις ἦν γεννημάτων.
ΟΙ. ἢ δοῦλος ἢ κείνου τις ἐγγενὴς γεγώς;
ΘΕ. οἴμοι, πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν.
ΟΙ. κἄγωγ' ἀκούειν· ἀλλ' ὅμως ἀκουστέον.
ΘΕ. κείνου γέ τοι δὴ παῖς ἐκλήζεθ' · ἡ δ' ἔσω
κάλλιστ' ἂν εἴποι, σὴ γυνή, τάδ' ὡς ἔχει.

Ex via quaestionis ab Oedipo de ipsius ortu institutae, quomodo res inter se conexae et aptae sint, apparet. Sed quid vox γεννημάτων in hoc contextu sermonis sibi velit, non liquet. Huic verbo subjecta notio est ‚natus' neque quidquam aliud est Λαΐου γέννημα praeter Laio natum. Quod autem Oedipus deinde, utrum servus an genuinus illius filius fuerit, rogat, ex eo famulum incerta quadam voce usum esse intelligimus. Wolff rem obscuram interpretando explanare studet, cum Λαΐου γέννημα intelligi posse etiam ‚illius servo quodam natum' dicit. Sed audacior mihi videtur haec explicatio, quam ut probari possit. Huc accedit, quod Oedipus ex famulo non quaesivit, quo natus puer fuisset, sed quis isti eum tradidisset. Nauck eo motus τῶν Λαΐου τοίνυν (vel δόμων, ut Dindorf suspicatur) τις ἦν ὁ δοὺς βρέφος conjicit. Sed etsi famulus aliud rogatus est, tamen eum unde puer natus esset adumbrasse ex eo, quod Oedipus iterum interrogat (ἐγγενὴς γεγώς), elucet. Fortasse Sophocles scripsit γενεθλίων, quod γενέθλιοι vocari possunt, quicumque ad gentem Lai attinent (cf. θεοὶ γενέθλιοι). Vox ambigua, quae rerum contextui conveniat.

Oed. R. v. 1329—35. 1349—55.

στρ. Ἀπόλλων τάδ' ἦν, Ἀπόλλων, φίλοι,
ὁ κακὰ κακὰ τελῶν ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα·
ἔπαισε δ' αὐτόχειρ νιν οὔτις, ἀλλ' ἐγὼ τλάμων.
τί γὰρ ἔδει μ' ὁρᾶν,
ὅτῳ γ' ὁρῶντι μηδὲν ἦν ἰδεῖν γλυκύ;
ἀντιστρ. ὤλοιθ' ὅστις ἦν, ὃς ἀγρίας πέδας
νομάδος ἐπιποδίας ἔλαβέ μ', ἀπό τε φόνου
ἔρρυτο κἀνέσωσεν, οὐδὲν εἰς χάριν πράσσων.
τότε γὰρ ἂν θανὼν
οὐκ ἦν φίλοισιν οὐδ' ἐμοὶ τοσόνδ' ἄχος.

Verba antistrophae insignibus litteris scripta strophae non respondent. Stropha ex dochmiis et versibus jambicis constare videtur. Ut primum sic alterum versum senarium esse dochmicum verisimile est. Versus tertius jambos, quos Deventer et Hartung, cum voces τλάμων (1333) et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

πράσσων (1353) delent, senarium efficere volunt, versus quartus dochmium, quintus senarium jambicum praebent. Strophae versus alter metro dochmico servit, nisi quod syllabae ultimae (πάθεα) repugnare videntur. Sed ad eas legendas, nisi Elmslejo, qui πάθεα in πάθη mutavit, assentimur, synizesis adhibenda est. Proceri numeri fere prorsus — id quod patitur dochmius — in syllabas breves dissoluti sunt.

Multo impeditior est versus antistrophicus. Cujus prior pars strophae non respondet nisi vocalibus ια (in ἐπιποδίας) per synizesin lectis. Nevius v. 640 (δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν) confert, quo illud licere comprobet. Sed Dindorf, quod id ipsum vocem δυοῖν tamquam unam syllabam legi plane inusitatum judicat, verba in δρᾶσαι δικαιοῖ, θάτερον δυοῖν κακοῖν mutavit. Minus etiam dochmius, quem stropha praebet, ex altera versus parte (ἔλαβέ μ' ἀπό τε φόνου) capitur. Quocumque rem vertis, syllaba brevis supervacanea est.

Quae cum ita sint, viri doctissimi versum sanare studuerunt. Scholiasta: ἀπόλοιτο, φησίν, ὅστις ἀπὸ τῆς ἀγρίας πέδης τῆς διανεμομένης τοὺς πόδας μου ἔλαβεν καὶ διέσωσέ με. Etsi ita verba νομάδος ἐπιποδίας tamquam διανεμομένης τοὺς πόδας interpretatur, tamen, quasi explicationis eum poeniteat, haec addit: ἐπιποδίας, ἐν τῇ δημοσίᾳ ὁδῷ τῇ ὑπὸ τῶν νομέων πατουμένῃ. Praepositio ἀπό non modo ad φόνου, sed etiam ad ἀγρίας πέδας (sc. ὄντα, λυθέντα, vinculis solutum) refertur. Pro νομάδος Elmsley νομάδ' posuit idque ἐν νομαδικοῖς τόποις interpretatur. Sententia erit haec: pereat is, qui me in pascuis versantem diris vinculis pedalibus solutum cepit atque ex morte eripuit. Sed posterior versus pars nihilo magis ad dochmium convenit. Nauck conjecit haecce:

στρ. Ἀπόλλων τάδ' ἦν, Ἀπόλλων, φίλοι,
ὁ κακὰ τελῶν τάδ' ἐμὰ πάθη.
ἀντιστρ. ὄλοιθ' ὅστις ἦν, ὄλοιτ' ἀγρότας,
ὃς ἀπὸ πέδας μ' ἀπό τε φόνου
ἔρρυτο κἀνέσωσεν.

Sed hoc audacius quam ut probetur. Magis Brambachi conjectura mihi placet, qui voce ἔλυσε, quam multi libri praebent, servata scripsit:

ὄλοιθ' ὅστις ἦν, ἀπ' ἀγρίας πέδας
νομάδ' ὃς ἐπίποδος
λῦσέ μ' ἀπό τε φόνου
ἔρυτο κἀνέσωσεν.

Sed fortasse Graeci neque ἐπίποδος neque ἐπιπόδιος consuetudine sermonis umquam usurpaverunt. Sophoclem haec scripsisse suspicor:

ὄλοιθ' ὅστις ἦν, ὃς ἀγρίας πέδας
νομάδος ἐπὶ ποδῶν ἔλαβε, μ' ἀπὸ φόνου
ἔρυτο κἀνέσωσεν.

ἀγρίας πέδας accusativum pluralis esse puto, ita ut verba significent haec: pereat is, qui dira vincula in pedibus nomadis (sc. mei in pascuis versantis) manu prehendit (sc. ut solveret), me ex morte eripuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Phil. v. 22. 23.

ἅ μοι προςελθὼν σῖγα σήμαιν', εἴτ' ἔχει
χῶρον πρὸς αὐτὸν τόνδε γ', εἴτ' ἄλλῃ κυρεῖ.

Locum plerique corruptum esse judicant. Bergk aut *εἴτ' ἔχει χῶρον προςαυρῶν τόνδε γ'* aut *χῶρον πάραυλον τόνδε γ'* esse scribendum conjecit. Alii *εἴτ' ἐκεῖ χῶρον κατ' αὐτὸν* suspicantur. At medicina non adhibita verba explicari posse videntur. Wunder ita interpretatur: ‚Verbi *ἔχει* subjectum non Philoctetam, sed pronomen *ἅ* esse, verissime ab Hermanno monitum puto. In reliqua hujus loci interpretatione dissentio. Totum fabulae exordium docet ante omnia Neoptolemo quaerendum fuisse, utrum locus is, quem a Philocteta habitari Ulixes putabat, in vicinia, id est in iis rupibus, quae in scena ante oculos Ulixis et Neoptolemi positae erant, an alibi esset. Itaque accedere nunc ad eas (*προςελθὼν σῖγα*) sine strepitu jubetur et significare Ulixi, sintne (*ἅ*) antrum ejusmodi, quale modo descripserit, et fons 'ad eum versus locum', quem nunc teneat Ulixes, an ‚aliorsum' sita. Apte nunc *πρὸς* praepositionem positam esse patet'.

Verbum *ἔχειν* ‚spectare' hic significare contendit. Sed recte Wecklein monet: ‚Bonitzius *ἔχειν* non' situm esse', sed ‚dirigi, pertinere ad locum' significare statuit. Complures res docent Ulixem dicere: ‚quem locum si inveneris, tacite aggressus significa mihi, utrum illum etiamnunc teneat Philoctetes, an alibi sit'. Itaque verba *πρὸς αὐτὸν* aliquid vitii contraxisse probabile est'. Res mihi ita se habere non videtur. Verba *χῶρον πρὸς αὐτὸν τόνδε* ex participio *προςελθὼν* pendere existimo. Quamvis verborum ordo aliquantulum sit implicatus, tamen ferri potest. Haec quidem sententia interpunctione post *ἔχει* posita subest: utrum teneat (sc. illum locum) an alio loco versetur, me certiorem fac, cum ad hunc ipsum locum adveneris.

Phil. v. 29. 30.

ΝΕ. τόδ' ἐξύπερθε · καὶ στίβου γ' οὐδεὶς κτύπος.
ΟΔ. ὅρα, καθ' ὕπνον μὴ καταυλισθεὶς κυρεῖ.

Alii libri habent *κτύπος*, alii *τύπος*. Schneidewin verbo *στίβου*, quippe quod a *στείβω* ductum semitam vel vestigium in solo impressum significet, fremitum ascribi posse negat. Itaque a multis *τύπος*, quamvis libris deterioribus traditum sit, antefertur. Hermann: ‚hoc dicit, nullum conspici vestigium, unde aut introiisse illum aut exiisse appareat.' Sed si haec sit sententia, Ulixes inde forsitan locum desertum vel incultum esse suspicetur, non quaerat, num ille alicubi somno oppressus jaceat. Ideo Bergk scripsit: *καὶ στίβου 'στ' οὔδει τύπος*. Nauck contra dicit, cum dativum *οὔδει* poetis tragicis non esse usitatum docet. Quamobrem alii malunt *καὶ στίβου 'στ' οὐχ εἷς τύπος*, quod ita interpretantur ut verba *οὐχ εἷς τύπος* vim habeant 'multa vestigia.' Todt (in 'Zeitschr. für Gymnasialwesen, 1867) uno verbo mutato — conjicit *καὶ στίβου δ' οὐχ εἷς τύπος* — illud comprobat atque consentaneum esse versui sequenti hoc fere modo ostendit, ut specu domicilio cognito minime mirum esse moneat, si Ulixes timeat, ne ille somno vinctus in ea sit.

Sed melius mihi voce *κτύπος* accepta omnia inter se congruere videntur. Ulixes postquam nullum fremitum audiri cognovit non jam se in tuto esse judicans Neoptolemum adhortatur, ut, ne forte dormiens ille adsit, circumspiciat. Wunder, qui illam vocem tuetur, rem ita explanat: 'Neoptolemus cum 'nullum incessus strepitum esse' vel nullum incedentis strepitum audiri ait, hoc significat, Ulixem, qui veritus adhuc, ne in antro inesset Philoctetes, procul afuerat ideoque ne satis quidem cognoscere illud potuerat, propius jam accedere posse, quod Philoctetes non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inesse nunc in antro videatur. Nam qui ante antrum stabat, si nullum incedentis strepitum audiebat, in alterutra versari sententia debebat, ut putaret aut non inesse Philoctetam aut, si inesset, recubuisse. Prius credebat Neptolemus, posterius cautior Ulixes reputandum statim monet.' Ceterum *στίβος* recte de ‚incessu' dici se alio loco docuisse contendit. Wecklein id comprobasse addit eis, quae a Bonitzio et aliis contra dicerentur, refutatis M. Seyffertum. Neoptolemum haec dicere: ‚et quod aliud quaeris, num Philoctetes in eo antro sit, incessus quidem nullum audio strepitum.' Cum ex eis, quae attuli, homines doctissimos vocis *στίβος* hanc vim incessus tenere appareat, tamen id mihi persuadere non possum. Genitivum loci illud *στίβου* esse puto, ut *πυρᾶς* in Soph. El. v. 901 (*ἐσχάτης δ' ὁρῶ πυρᾶς νεώρη βόστρυχον τετμημένον*), ita ut sententia sit haec: in via quidem nullus strepitus.

Phil. v. 40—44.

ἀνὴρ κατοικεῖ τούσδε τοὺς τόπους σαφῶς,
κἄστ' οὐχ ἑκάς που · πῶς γὰρ ἂν νοσῶν ἀνὴρ
κῶλον παλαιᾷ κηρὶ προσβαίη μακράν;
ἀλλ' ἢ ἐπὶ φορβῆς νόστον ἐξελήλυθεν
ἢ φύλλον εἴ τι νώδυνον κάτοιδέ που.

Hermann de versu insignibus litteris scripto sic disputat: ‚neminem, qui vel aliquem usum Graecae linguae habeat, dubitaturum puto, quin *ἐπὶ νόστον φορβῆς ἐξελήλυθεν* significet ‚in viam, qua victum quaereret, se contulit' i. e. breviter ‚ad victum quaerendum' exiit. *Νόστος* pro via et itinere simpliciter saepius apud tragicos positum, ut in Iphig. Aul. 966.' (Laws quaest. Soph. in progr. Roessel 1853.) Wunder additis nonnullis locis eandem verbi *νόστος* vim tuetur ac Suidae illud affert: *περινοστοῦντας · περιερχομένους · νόστος κυρίως μὲν ἡ ἀπ' ἀλλοδαπῆς οἴκαδε ἄφιξις, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἡ ἀπὸ τόπου εἰς τόπον.* Nihilo minus locus esse corruptus videtur: exspectaveris enim *φορβῆς χρείᾳ.* Verba *ἐπὶ φορβῆς νόστον,* quidquid homines docti contra dicunt, non apta sunt. Praepositio *ἐπὶ* neque cum genitivo *φορβῆς* neque cum accusativo *νόστον* hic satis secundum grammaticorum praecepta jungitur, si quidem *ἐφ' ὁδὸν ἐλθεῖν* pro *ὁδὸν ἐλθεῖν* vix dicitur: praepositione deleta enunciatum tuleris. Quapropter homines docti (Burges, Wecklein) mendum ita tollere studuerunt, ut scribatur *ἐπὶ φορβὴν,* Wecklein praeterea *νόστον* in *νῆστις* immutari vult, quod idem ac v. 162 *φορβῆς χρείᾳ* esse dicit. Mihi pro eo in mentem venit tum *ἐπὶ φορβὴν νόσφιν ἐξελήλυθεν* tum *ἐπὶ φορβῆς φόρτον.* Hoc posito verba, cum vox *φόρτος* a *φέρω* ducta talem habere vim videatur, significant ‚ad victum afferendum.'

Phil. v. 533—35.

ἴωμεν, ὦ παῖ, προσκύσαντε τὴν ἔσω
ἄοικον εἰσοίκησιν, ἃς με καὶ μάθῃς
ἀφ' ὧν διέζων ὥς τ' ἔφυν εὐκάρδιος.

Nauck jure vocis *εἰσοίκησις* usum alienissimum esse monet, quippe quae nisi hoc loco nusquam in litteris Graecis usurpetur, quin etiam verbum *εἰσοικέω* in consuetudine sermonis Graeci vix inveniri: accedere supervacaneum illud *τὴν ἔσω.* In duas partes *εἰσοίκησιν* distrahi vult, ita ut legatur *εἰς οἴκησιν,* quod ex verbo *ἴωμεν* pendeat. Sane lenis ac digna mutatio, quae ab omnibus comprobetur. Sed quid sibi velit *προσκύσαντε,* non patet. Wecklein: ‚in verbis *ἴωμεν*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

— προςκύσαντε participium προςκύσαντε vim sententiae continet ut μαθόντες v. 540: ‚proficiscamur venerati' i. e. antequam proficiscamur, veneremur. Schol.: προςκύσαντες · ἀσπασάμενοι τὴν ἑστίαν, unde suspiceris poetam scripsisse προςκύσαντε γῆς ἕδος ἄοικον εἰς οἴκησιν. Conf. El. 1374 χωρεῖν ἔσω, πατρῷα προςκύσανθ' ἕδη θεῶν.' Nauck in medio relinquit, num nihil sit mutandum nisi τὴν in Γῆν, ita ut haec vox ad προςκύσαντε, illud ἔσω, quod verbis sequentibus ἄοικον εἰς οἴκησιν explicetur, ad ἴωμεν referatur. Sed ipsi, etsi Philoctetes habeat, quod Tellurem matrem, quae sibi victum praebuerit, imploret, tamen tum ipsum, cum antrum intrare velit, eum illam precari non satis videtur convenire. Dubitat an post προςκύσαντε Γῆν versus interciderit, ita ut sententia loci fuerit haec: antequam Tellurem venerati Lemno proficiscamur, mecum venias velim in antrum. Praeterea si divinare liceat, fortasse Sophoclem προςκύσαντε τὴν στέγην ἄοικον εἰς οἴκησιν scripsisse proponit. Similiter Bergk, qui προςκύσοντες ἑστίαν, postea προςκύσαντες Ἑστίαν conjecit. Hoc mihi maxime arridet, nisi quod audacius est. Quid? quae verba libri praebent, nonne idem, quod Bergk suspicatur, significare posse videntur? Ut homines domestici οἱ ἔνδον interdum vocentur, sic Ἑστίαν, deam domesticam, τὴν ἔσω hic dici puto.

Phil. v. 660—62.

ΝΕ. καὶ μὴν ἐρῶ γε, τὸν δ' ἔρωθ' οὕτως ἔχω ·
εἴ μοι θέμις, θέλοιμ' ἂν · εἰ δὲ μή, πάρες.
ΦΙ. ὅσιά τε φωνεῖς ἔστι τ', ὦ τέκνον, θέμις.

Cum Neoptolemus, num sibi arcum manibus tangere vel portare liceret, e Philocteta quaesivisset, postquam hic veniam dedit, sequuntur versus praepositi. Wecklein πάρες defendit, cum dicit: ‚πάρες, praetermitte, neglege (desiderium meum).' Confert cum eo Oed. Col. v. 361: ἐγὼ τὰ μὲν παθήμαθ' ἅπαθον, πάτερ, παρεῖσ' ἐάσω. At re omissa, quam desiderat imperativus πάρες, quis est, quin audiat τὰ τόξα, quae antea commemorata sint? Itaque Nauck locum corruptum judicans πάρες vocabulum uncis inclusit. In hunc fere modum de eo disputat: verba θέλοιμ' ἂν postulare ait, ut audiatur βαστάσαι τὰ τόξα : πάρες, quod ‚concede, ut arcum capiam' (cf. El. 1482 ἀλλά μοι πάρες κἂν σμικρὸν εἰπεῖν) significet, non quadrare in sententiam loci: vim istam ‚praetermitte', quam ei subesse putent, non esse ex sermonis consuetudine. Quapropter suspicatur aut εἰ δὲ μή, οὐ θέλω aut cum Henseo εἰ δὲ μὴ θέμις, ita ut Neoptolemi sermo interrumpatur. Sed locus, opinor, minus audacter sanatur, cum sic constituitur:

εἴ μοι θέμις, θέλοιμ' ἂν · εἰ δὲ μὴ πάρεστ' —
ΦΙ. ὅσιά τε φωνεῖς ἔστι τ', ὦ τέκνον, θέμις
. . . . . .
. . . . . .
θάρσει, παρέσται ταῦτά σοι καὶ θιγγάνειν.
Neopt. si mihi fas est, velim: si non licebit —
Phil. pia loqueris, mi fili, ac fas est
. . . . . .
bono animo es! licebit tibi hunc (sc. arcum) attingere.

Philoctetes vocabulum παρέσται usurpans Neoptolemo, num sibi liceret (εἰ δὲ μὴ πάρεστ'), haesitanti directe respondet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Phil. v. 686—95.

τόδε θαῦμ' ἔχει με,
πῶς ποτε, πῶς ποτ' ἀμφιπλή-
κτων ῥοθίων μόνος κλύων,
πῶς ἄρα πανδάκρυτον οὕ-
τω βιοτὰν κατέσχεν·
ἵν' αὐτὸς ἦν πρόςουρος, οὐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν' ἐγχώρων, κακογείτονα,
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον
βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν αἱματηρόν.

Wecklein de hoc loco ita disputat: ‚Recte Brunck, quem sequitur Buttm., *πρόςουρος* formam ionicam adjectivi *πρόςορος* esse statuit. Saepius autem eo vocabulo Herodotus usus est: neque incredibile Sophoclem, qui multas formas ionicas usurpasset, hac quoque usum esse. Ejusdem compositionis vocabula haec sunt: *ἄπουρος*, longinquus, O. R. 194, *τηλουρός*, longinquus, quae vox saepius usurpata est. Itaque sensus est: ‚ubi ipse (sibi) erat vicinus'. Similem locum Lucian. Timon. c. 43 *θεοῖς θυέτω καὶ εὐωχείτω μόνος ἑαυτῷ γείτων καὶ ὅμορος* comparavit Erfurdtius. *ἑαυτῷ*, quod desideres, continetur notione *αὐτός* quasi sit *αὐτοπρόςουρος*, cui comparare licet *αὐτοδιάκονος*. Reliqua dubie interpretantur ‚non habens eundi facultatem neque quemquam incolarum vicinum mali'.

Nihilominus Nauck locum corruptum esse judicat, interpretationem ‚ubi ipse (sibi) erat vincinus' vocabulo *ἑαυτῷ* omisso non probandam esse censet, conjecturas et Blaydesi, qui *ἵν' αὐτὸς ἦν οἰκουρός* suspicetur, et J. Oberdicki, qui alteram versus partem in *οὐκ ἔχων κάσιν* mutari velit, affert. Quae mihi non magis placent, quam quae verba scholiasta ad rem explicandam facit: *ὅπου αὐτὸς μόνος ὑπὸ ἀνέμων βαλλόμενος πρὸς ἄνεμον τετραμμένος ἦν*, quae rem tangere minime credendum est.

Janke, qui in libello scholastico (Progr. Pyritz 1865) homines doctissimos, quae quisque de singulis locis annotaverit, accuratissime profert, cum aliorum tum Hermanni ejus loci, quem supra dixi, interpretationes diversas memorat. ‚Hermannus ipse', inquit, ‚priorem illam interpretationem' — ad quam scholiastae verbis, opinor, adductus est —: ‚in quem locum ipse quasi secundo vento venerat', hoc est, miserrimam illum vitam sustinuisse eo in loco, ad quem ipse fortuna favente enixus esset, jam dudum rejecit. Immo concedens formas ionicas non abhorrere a tragicorum dicendi ratione, ex qua deducendum vocabulum *πρόςουρος* est a voce *ὅρος* in ed. II. interpretationem Brunckii ab Heathio primum prolatam: ‚ubi ipse sibi erat vicinus' adscivit, *αὐτῷ* non scribendum, sed subintelligendum esse censens. Atque in ea explicandi ratione fere omnes acquiescunt editores recentiores'. Janke ipse, qui, quamquam lectionem vulgatam ferendam esse putat, Nauckio dubitanti ex parte assentiatur, *ἵν' αὐτός οἱ πρόσουρος* in medio ponit. Concedo: sed verba *οὐκ ἔχων βάσιν* quid sibi velint, nondum apparet. Janke Hermanni sequens interpretationem ea sic explanat: ‚Poeta si dicit *οὐκ ἔχων βάσιν*, non perfectam eundi imbecillitatem exprimit, immo id tantum Philoctetam non ut hominem pedibus sanum potuisse incedere: quare postea cum infante comparatur, qui sine nutrice incedere conatur. Nam etiamsi constat Philoctetam non ita fuisse aegrotum, ut prorsus lecto teneretur, tamen non potest dici *βαίνειν*, sed *ἕρπειν*, id quod pluribus comprobatur fabulae locis. Aegre tantum incedere neque in locum remotum procedere potest. Accessit malus ille vulneris odor, quo omnes, qui appropinquabant,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

repellebantur. Vides igitur ex his Philoctetam ne potuisse quidem adire vicinum, etiamsi habuisset. At ne habuit quidem, quod legis in versu sequente. Retinuimus igitur *οὐκ ἔχων βάσιν*, quae verba cum Hermanno (in ed. II.) causam indicare censemus, cur ipse sibi vicinus fuerit Philoctetes'. Sed quamvis Janke enixe operam dederit, tamen contorta mihi videtur explicatio.

Schultz (Progr. Monast. 1860) *ἵν' αὐτὸς ἦν, πρόσουρον οὐκ ἔχων βάσιν* ponit, quod sic explicat: ‚ubi ipse solus erat, ad confinem quemquam non habens accessum i. e. ubi neminem adire poterat'. Ad hanc conjecturam interpretationemque fulciendam ex scholiis affert: v. 691. *ὅπου αὐτὸς μόνος ἦν* · v. 692. *οὐ μόνον ὅπου καλὸν οὐκ εἶχε γείτονα, ἀλλ' οὐδὲ κακὸν, παρ' οὗ ἀμοιβαῖον λόγον στενάζων ἀκούσεται.* At minus refert ad versum 691 explicandum, quod scholiasta ad v. 692 annotavit. Summa vero offensionis in eo consistit, quod praepositio vocis *πρόσουρον* (‚ad confinem') desideratur. Haud scio an scribendum sit: *ἵν' αὖ τόσην πρὸς οὖρος οὐκ ἔχων βάσιν* i. e. ubi (versatur) jam tantam facultatem (eundi) ad montem (qui in propinquo eminet) non habens. Quamquam nonnulla obstant, tamen verba, quae posui, fortasse eo commendantur, quod nulla lectionis vulgatae littera mutata est.

Phil. v. 758—59.

Philoctetes morbo afflictus ejus naturam sic describit:

ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου πλάνοις ἴσως
ὡς ἐξεπλήσθη. NE. ἰὼ ἰὼ δύστηνε σύ ·

In scholiis est: *ὁδοιπορείαις . ἥκει ἡ νόσος, ἴσως ὅτε ἐκορέσθη πλανωμένη . ὡς ἐπὶ θηρὸς δὲ ποιεῖται τὸν λόγον.* Wecklein (ed. Wund.), qui *πλάνοις ἴσοις* posuit, rem similiter explanat: ‚redit enim morbus longioris temporis intervallo, ut paribus grassationibus se exsaturavit. Morbi impetum et mox cessaturum esse, quia impetus cujusque par spatium (*πλάνους ἴσους*) cognoverit, et diu non rediturum Philoctetes Neoptolemo affirmat boni animi retinendi causa'. Sane contorta explicatio, morbum magis ‚grassationibus' quam eo, quod aegrotum torqueat, satiari. Nimirum morbus, ubi ad hunc modum satiatus est, non accedit ad aegrotum, sed ab eo recedit. Nauck ait, si libri haberent *ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου πλανωμένη, ταχέως δ' ἐπλήσθη* vel *νῦν δ' ἐξεπλήσθη*, futurum esse, ut omnia inter se congruerent. Praeterea conjecturas et Schmidti (*λήγει γὰρ αὐτὴ διὰ χρόνου πλάνοις νόσος ὡς ἐξεπλήσθη*) et Hensei (*ἥκει γὰρ αὕτη καὶ φθίνει πλάνοις πάλιν ὡς ἐξεπλήσθη διὰ χρόνου. NE. δύστηνε σύ*) affert. Fortasse locus sanari potest voce *ὡς* mutata in *ἕως*, ita ut tamquam una syllaba (cum synizesi) legatur. Dindorf in lexico Sophocleo praeter tres locos, quibus *ὡς ἂν* vel *ὥσπερ ἂν* pro *ἕως* usurpetur, nihil affert. Quibus, puto, is locus, de quo nunc disputo, si vox *ὡς* servetur, ascribendus est. Praeterea *ἴσοις* quam *ἴσως* legi malim. Habemus igitur haec: *ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου πλάνοις ἴσοις, ἕως ἐξεπλήσθη.* Sententia subest haec: morbus interdum paribus circuitibus errans mihi obrepit (neque cessat), dum satiatus est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Phil. v. 1095—1100. 1116—21.

στρ. σύ τοι σύ τοι κατηξίωσας,
ὦ βαρύποτμ', οὐκ ἄλλοθεν
ἔχῃ τύχᾳ τᾷδ' ἀπὸ μείζονος
εὖτέ γε παρὸν φρονῆσαι
τοῦ λῴονος δαίμονος εἵλου τὸ κάκιον ἑλεῖν.
ἀντιστρ. πότμος πότμος σε δαιμόνων τάδ',
οὐδὲ σέ γε δόλος ἔσχ' ὑπὸ
χειρὸς ἐμᾶς . στυγερὰν ἔχε
δύσποτμον ἀρὰν ἐπ' ἄλλοις.
καὶ γὰρ ἐμοὶ τοῦτο μέλει, μὴ φιλότητ' ἀπώσῃ.

De his versibus et tertium et extremum strophae, quippe qui antistrophicis non respondeant, corruptos esse suspicor. Cum in extrema antistropha tres sint choriambi, Hermann *τοῦ πλέονος* (et *αἰνεῖν* pro *ἑλεῖν*), Wunder *λωϊτέρου* (et *εὑρεῖν*), Bothe cum Nauckio *λωίονος* pro *τοῦ λῴονος* volunt. Ad tertium versum emendandum Dindorf *ἃ τύχα ἄδ' ἀπὸ μείζονος* conjicit. Alii mendum in antistropha inesse putant. Nescio an lenior, quam quae Dindorf posuerit, mutatio sit scribere *οὐκ ἄλλοθεν ἔσχε τύχα σ' ἀπὸ μείζονος*, i. e. tu haec mala tibi ipse contraxisti, non aliunde scil. a potentiore quoquam (potentioris cujusquam impetu) fatum te tenuit.

Phil. v. 1140—42.

ἀνδρός τοι τὸ μὲν εὖ δίκαιον εἰπεῖν,
εἰπόντος δὲ μὴ φθονερὰν
ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν.

Postquam Philoctetes, quod arcu sit privatus, questus Ulixem tamquam pestem suam detestatus est, chorus his versibus, quos supra posui, respondet. Nauck ex verbis corruptis, quid poeta sentiat, dilucide intelligi posse negat. Schneidewin Arndti conjecturam *τὰ μὲν ἔνδικ' αἰὲν εἰπεῖν* dignam esse censet, quae animo volvatur. Contra quem Nauck, etsi *αἰὲν λέγειν* ratione dicendi usurpetur, tamen *αἰὲν εἰπεῖν* scribi non licere monet. Wecklein (in ed. Wund.) de hoc loco sic disputat: ‚certissimum mihi videtur verba *εὖ δίκαιον* aliquid vitii contraxisse. Fortasse scriptum fuit: *τὸ μὲν οὐ δίκαιον εἰπεῖν* vel potius *τὸ μὲν ἔκδικον κατειπεῖν*. Illud quidem non dubito, quin istiusmodi quid positum fuerit, ut sensus hic esset: ‚viri boni est libere dicere quidquid injustum putet esse, sed ubi dixerit, dictis acerbis invidiaeque plenis abstinere'. Concedit chorus Philoctetae esse, quod de fraude sibi illata conqueratur, sed admonet simul, ne acerbis malignisque verbis in Ulixem invehatur, quippe qui, id quod sequentibus explicat, non malevolentia quadam ductus aut sui commodi causa, sed amicorum saluti ut prospiceret id, quod molestum Philoctetae sit, suscipiendum faciendumque putarit. Deinde nihil offensionis est in genetivo *εἰπόντος*, pro quo poterat poeta *εἰπόντα* dicere, sed metri gratia posuit *εἰπόντος*, praecedenti genetivo *ἀνδρός* accomodatum'. Quamquam magna ex parte consentio, tamen etiam id, quod libri habeant, fortasse servari posse existimo, ita ut sententia sit haec: ‚viri est dicere, quidquid sibi justum esse videatur'. At in eis, quae Wecklein addit, ab eo dissentio. ‚Denique', inquit, ‚verbis *φθονερὰν ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν* nihil significatur nisi *γλώσσαλγον εἶναι* sive, ut recte scholiasta interpretatur, *πικραίνεσθαι*.' Qui igitur verbum pro verbo reddet, rem ita interpretabitur: ‚viri est, ubi dixerit, non amplius invidum linguae dolorem expromere' vel ‚animi dolorem verbis exprimere'. At vocabulum *ἐξωθεῖν* non tam ‚expromere' vel ‚exprimere', quam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

expellere' significare mihi videtur. ‚Expellere dolorem' autem idem est, quod ‚ex dolore animi verbis expresso conquiescere', ita ut verbis *μὴ φθονερὰν ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν* contraria subsit sententia ‚non conquiescere, dolorem non expellere'. Quamobrem pro voce *μή* fortasse *μήν* scribendum esse censeo. Chorus, quamquam viri sit, quidquid sibi justum esse videatur, ‚dicere, tamen non minus eum decere, ubi dixerit, invidum animi dolorem, qui ad loquendum stimulet, expellere vel cohibere monet.

Phil. v. 1146—51.

ὦ πταναὶ θῆραι χαροπῶν τ'
ἔθνη θηρῶν, οὓς ὅδ' ἔχει
χῶρος οὐρεσιβώτας,
φυγᾷ μ' οὐκέτ' ἀπ' αὐλίων
πελᾶτ' · οὐ γὰρ ἔχω χεροῖν
τὰν πρόσθεν βελέων ἀλκάν.

Wecklein (in ed. Wund.) locum insignibus litteris scriptum sic explicat: ‚Schol. *φυγᾷ μ' οὐκέτ' ἀπ' αὐλίων · ἀντὶ τοῦ οὐκέτι φεύξεσθέ με, οὐκέτι μετὰ φυγῆς καὶ φόβου προςπελάσετέ μοι.* Similiter atque *φυγῇ φεύγειν* hoc loco dictum est *φυγῇ πελάζειν*, significans ‚ita appropinquare, ut statim rursus aufugias'. Sensus enim totius loci hic est: ‚opportunum jam est, o ferae, appropinquare a lustris vestris ad me, ut me petatis et carne mea vos satietis, non, ut antea fecistis, ut me fugiatis'. Affert locos nonnullos, ubi *πελάζειν* cum accusativo conjunctum sit. Nihilominus ei non satis placet, ideoque in extremo addit haecce: ‚ceterum non haberet sententia aliquid tumidi et a Sophocle alieni, ut nunc habet, si scriptum esset: *φυγᾷ μηκέτ' ἀπ' αὐλίων* (ab antro meo) *πλάζεσθ' · οὐ γὰρ κτέ.*' Nauck in medio ponit: *οὐκ ἐμῶν ἔτ' ἀπ' αὐλίων φεύξεσθ'*. M. Seyffert in ‚Zeitschrift für Gymnasialwesen 1862' Naucki emendationem violentiorem, quam ut probari possit, judicans scribendum esse putat: *φυγεῖν μ' οὐκέτ' ἐπ' αὐλίων πελᾶτ'* i. e. jam non ad antrum meum accedetis, ut me fugiatis. At ne hoc quidem probabile videtur. Quid? feras etiam tum, cum Philoctetes arcum manibus teneret, ea mente, ut inde fugerent, ad antrum venisse num verisimile est? Nescio, an nihil sit mutandum. Si *φυγᾷ*, ita ut *ὄντες* simul audiatur, tamquam appositum sit ad subjectum, quod in verbo *πελᾶτ'* lateat, sententia loci paulo sit tolerabilior. Philoctetes enim dicit: *φυγᾷ* (sc. *ὄντες*) *μ' οὐκέτ' ἀπ' αὐλίων πελᾶτ'* i. e. jam non in fuga (fugientes) ab antro meo (receditis), acceditis ad me. Quamquam ordo verborum pronomine *μ'* inserto implicatus est. Forsitan vero *φυγᾷ* (*ὄντες*) tamquam *φεύγοντες* cum accusativo *με* conjungatur, ita ut pronomine omisso in voce *πελᾶτ'*, cui appropinquent, simul audiatur.

Phil. v. 1382—85.

ΦΙ. καὶ ταῦτα λέξας οὐ καταισχύνῃ θεούς;
ΝΕ. πῶς γάρ τις αἰσχύνοιτ' ἂν ὠφελούμενος;
ΦΙ. λέγεις δ' Ἀτρείδαις ὄφελος ἢ ἐπ' ἐμοὶ τόδε;
ΝΕ. σοί που, φίλος γ' ὤν, χὠ λόγος τοιόσδε μου.

Quis est, qui verbum insignibus litteris scriptum salvo poetae sensu conservari posse arbitretur? Nauck poetam *ἄλλον ὠφελῶν* scripsisse suspicatur, Blaydes *ὠφελῶν φίλον*. Sed

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

audacior est haec mutatio, quam ut probetur, si lenior medicina adhiberi possit. Maxime arridet mihi Heathii conjectura *ὠφελουμένους*. Nevius occurrit, cum ‚activam potestatem verbi versu proxime sequenti posci videri' dicit. At verbo *ὠφελοῦμαι* vim esse verbi agentis vix crediderim. Locus ab illo collatus (Ai. 647. *ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται*) adeo non me movet, ut, nisi ipsum verbum *ὠφελοῦμαι* active usurpari demonstraverit, vocem *ὠφελούμενος* sanandum esse putem. Locus, qui agitur, Heathii conjectura *ὠφελουμένους* paullulum mutatus optime explicari potest. Neoptolemus a Philocteta, nonne deorum eum puderet, interrogatus: quem pudeat, inquit, eorum, quibus serviat i. e. quorum mandata exsequatur? Deinde Philoctetes, qui se a Neoptolemo pro deorum jussis moneri non concedat vel dicam concedere nolit, rem declinat, cum ex eo quaerit, utrum Atridis an sibi serviat, vel, si eisdem verbis reddimus: officiumne hoc erga Atridas an erga me adhibitum dicis?

Phil. v. 1442—44.

ὡς τἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πατὴρ
Ζεύς· ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς·
κἂν ζῶσι κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.

Hercules superioribus versibus adhortatur, ne Graeci, cum Trojam ceperint, pietatem erga deos laedant. Sequuntur versus praedicti, qui subditi esse nonnullis videntur. ‚Lud. et Guil. Dindorfii', ut Weckleini verbis utar, ‚tres versus *ὡς τἄλλα — ἀπόλλυται* ab interpolatore additos esse judicant, quia Herculis oratio verbis *τοῦτο δ' ἐννοεῖθ', ὅταν πορθῆτε γαῖαν, εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς* aptissime et gravissime finiatur. Atque illud *εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς*, quo vetantur Graeci divina humanaque jura permiscere, aliud est atque haec *εὐσέβεια*, quae pietas in virtute cultuque deorum posita est'. At fieri non potest, ut ratio ista id adulterinum judicandi, quo sublato concinnius sit carmen, mihi probetur. Quam si sequeremur, quot ex carminibus nostris loci, qui sine ulla dubitatione germani sunt, in dubium essent vocandi! Vocem vero *εὐσεβεῖν* in illo loco, qui agatur, aliud atque *εὐσέβεια* significare persuadere mihi non possum. Quae cum ita sint, alii nisi versum *κἂν ζῶσι κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται* nihil incertum putant. Antecedentem quidem versum cum hoc pugnare apparet. Ideo plerique Bruncki conjecturam pro *ἡ γὰρ εὐσέβεια* esse scribendum *οὐ γὰρ ηὐσέβεια* approbant. Assentio. Neque vero, cur illis verbis emendatis versum *κἂν ζῶσι ..... ἀπόλλυται* nonnulli tamquam alienum notis includant, intellegere possum. Idem fere declarant versus illi Euripidei, quos Nauck affert: *ἀρετὴ δὲ κἂν θάνῃ τις οὐκ ἀπόλλυται, ζῇ δ' οὐκέτ' ὄντος σώματος· κακοῖσι δὲ ἅπαντα φροῦδα συνθανόνθ' ὑπὸ χθονός*. Quod vero poeta eandem sententiam explicatam uberius et fusius dixerit, res non est satis magni ad persuadendum momenti.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf